

20. *A causa formali dividitur exceptio in justam seu legitimam et injustam, sive frustratoriam, frivolam, seu infirmam: et quid sint? Quæ exceptio hic et nunc sit legitima, iudicis arbitrio relinquatur.* — Resp. V. A causa formali exceptio dividitur in justam, seu legitimam; et in injustam, sive frustratoriam. Ita Zoesius loc. cit. n. 4. et communis. « Exceptio legitima (seu justa, atque relevans) » censetur ea, quæ a legibus approbatur: sive quæ provenit a causa ad justam appellationem sufficiente. Card. Tuschus litt. E. concl. 378. n. 4. post Oldradum consil. 323. circa init. E contra « Exceptio injusta, seu frustratoria dicitur, » quæ ad procrastinandam duntaxat litem malitiose opponitur. Glossa in Clem. *Sæpe contingit.* vers. *Dilatorias. de Verb. signif.* Quamquam in casibus particularibus, quænam exceptio hic et nunc sit legitima, et quænam frustratoria, prudenti iudicis arbitrio esse relinquendum, notet Card. Tuschus cit. concl. 378. n. 4. et Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 197. n. 6. et 7. hoc ipsum docens de exceptionibus frivolis, seu infirmis et fragilibus. Atque, ut aliæ taceantur divisiones exceptionum, de quibus fuse agit Speculator tit. *de Exceptionibus.* § 1. n. 5. et seqq. ac Hostiensis in *Summar.* tit. eod. n. 2. sufficiat breviter mentionem facere de exceptionibus anomalis. Et quidem:

21. *Exceptiones anomalæ quæ? — Per « Exceptiones anomalas » intelliguntur exceptiones irregulares, seu quæ non sequuntur normam aliarum exceptionum: quia videlicet possunt proponi tum ante litem contestationem, tum post eam; ut inquit Speculator cit. § 1. n. 7. et Nebrissensis in *Vocabulario juris.* vers. *Exceptio anomala.* Nec discordat Abbas in c. *Exceptionem.* n. 9. h. t. dicens, quod quædam exceptiones « sunt anomalæ respectu naturæ earum, quia ex toto non sequuntur naturam dilatoriarum, vel peremptoriarum. » Atque hujusmodi exceptiones, quæ etiam dicuntur, seu videntur « mixtæ, » ut inquit Sigismund. Scaccia lib. I. *de Judiciis.* cap. ci. 4. (non quidem in sensu n. 18. explicato, sed quia participant aliquid de dilatoriis et peremptoriis) alio nomine vocantur anomalæ: quanquam de nomine non sit curandum, sed sufficiat scire, quod omnes hæ voces significant exceptionem sine regula, et inæqualem, quæ propterea potest opponi tam ante, quam post litem contestatam.*

22. *Harum nonnullæ recensentur.* — Talis

exceptio anomala, juxta Abbatem loc. cit. n. 19; Speculatorem, et Nebrissensem, ubi supra, est exceptio excommunicationis, quæ licet in Clem. un. h. t. connumeretur inter exceptiones dilatorias, merito tamen dicitur anomala, cum possit opponi in qualibet parte iudicii, possitque etiam esse peremptoria; ut notat Glossa ibid. vers. *Dilatorias.* ut amplius dicitur infra § 4. n. 85. et 92. Talis etiam est exceptio non numeratæ pecuniæ, atque exceptio non numeratæ dotis: hæ enim licet sint temporales, quia non nisi intra biennium opponi possunt; si tamen tunc opponantur, et manteneantur, evadunt peremptoriæ, atque elidunt petitionem actoris in totum l. *In contractibus.* § 1 et § fin. c. *De non numerata pecunia,* et alibi. Idemque dicendum de nonnullis aliis exceptionibus, de quibus, dubitatur an sint perpetuæ, vel temporales, atque notat Speculator, ubi supra.

## § II.

## DE TEMPORE OPPONENDI EXCEPTIONES.

23. *Exceptiones dilatoriæ regulariter sunt opponendæ, atque probandæ ante litem contestationem.* — Queritur I. Quando opponendæ, atque probandæ sint exceptiones dilatoriæ? Resp. I. Exceptiones dilatoriæ regulariter sunt opponendæ, ac probandæ ante litem contestationem; et quidem intra terminum a iudice præfixendum. Ita textus expressus in c. *Inter monasterium.* 20. *de Sentent. et re juridicat.* ubi de hujusmodi exceptionibus dicitur: « Quas etiam tanquam dilatorias ante litem ingressum opponere debuissent. » Concordat textus in c. *Pastoralis.* 4. h. t. ubi ne per dilatorias exceptiones malitiose causarum terminatio prorogetur, Pontifex decrevit, « ut infra certum tempus a iudice assignandum, omnes dilatoriæ proponantur: Ita quod si partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur: nisi forte aliqua de novo sibi competens exorta fuerit: vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat juramento, se postmodum ad illius notitiam pervenisse. » Hæc ibi. Id ipsum habetur expressum in jure civili; ut l. *Exceptionem,* juncta Glossa 1. ibid. c. *de Probation.* et l. ult. c. h. t. ac tradit Abbas c. *Exceptionem.* n. 10. h. t. Barbosa c. *Pastoralis.* n. 4. eod. Zoesius h. t. n. 5. et communis aliorum.

24. *Reus tenetur probare suam exceptionem.*

*Atque excipiendo fit actor.* — Additur primo, « ac probandæ, » etc. Siquidem non sufficit tantum opponere exceptionem, sed ea ab excipiente est etiam probanda. Nam sicut actor tenetur probare suam intentionem, ita reus probare debet suam exceptionem; quia hic excipiendo quodammodo fit actor, l. I. ff. h. t. ibi: « Agere etiam is videtur, qui exceptione utitur: nam reus in excipiendo actor est. »

25. *Debetque eam probare intra terminum a iudice præfixendum.* — Additur ulterius in data conclusione, « et quidem intra terminum a iudice præfixendum. » Quia enim antiquitus malitiose nonnunquam causarum terminatio prorogabatur, dum lite diutius non contestata tempus inutiliter consumebatur in proponendis, ac probandis novis, et novis exceptionibus: hinc pontifex cit. c. *Pastoralis,* 4. h. t. provide decrevit, ut iudex partibus terminum, sive certum tempus assignare debeat, intra quod suas exceptiones opponere debeant: adeo, ut post lapsum illius termini, suo arbitrio pensatis qualitate causæ, et personarum, aliisque circumstantiis præfigendi, excipientem amplius non audiat; nisi in tribus casibus ibidem expressis, et infra n. 30 et seqq. referendis. Atque ob hos ipsos casus, et nonnullas alias fallentias, merito in eadem conclusione additum fuit, « regulariter. »

26. *Solvitur instantia declarando textum in l. Exceptionem. c. de Probation.* — Dices. Præmissis videtur ob stare textus in l. *Exceptionem, c. de Probation.* ubi dicitur: « Exceptionem dilatoriam opponi quidem initio; probari vero, postquam actor monstraverit quod asseverat, oportet; » ergo. Respondet Bartolus ibid. istam legem esse intelligendam de exceptione dilatoria solutionis, quæ debet opponi ab initio (hoc est, ante litem contestatam, vel in ipsa litem contestatione) probari vero post intentionem actoris fundatam; ut l. *Si quidem.* c. h. t. Secus de dilatione declinatoria fori, et aliis hujusmodi, quæ proponi ac probari debent ante litem ingressum. Vel dic cum Glossa un. ibid. legem allegatam procedere in exceptione dilatoria solutionis, et quidem sub conditione proposita ab initio; puta dicendo: « Frater, non confiteor quod dicis: sed si probaretur, dico, pactum mihi factum esse de non petendo ante tempus, » vel hujusmodi. Tunc enim necesse foret, ut actor prius monstraret suam intentionem, antequam reus cogere-

tur probare suam exceptionem dilatoriam, juxta textum cit. l. *Exceptionem. c. de Probation.* Atque istum excipiendi modum valde commendat Glossa in c. *Cum venerabilis.* § *Confessus.* et Abbas ibid. n. 26. et 27. h. t.

27. *Exceptio dilatoria non proposita ante litem contestatam, et intra terminum præfixum, nequit amplius proponi in causa appellationis.* — Resp. II. Exceptio dilatoria adeo debet proponi ante litem contestatam, et intra terminum a iudice præfixum, ut si tunc fuerit omissa, non possit amplius opponi etiam in causa appellationis. Ita textus in l. *Ita demum. c. de Procurat.* ubi proinde Summarium, ex Alexandro desumptum, sic loquitur: « Exceptio dilatoria, si non fuit opposita in causa principali, non poterit in causa appellationis opponi. » Idem docet Bartolus ibid. § *Secundo nota.* Abbas c. *Exceptionem.* n. 17. h. t. istud probans ex cit. l. *Ita demum. c. de Procurat.* addita ea ratione, quia in causa appellationis durat effectus litem contestationis factæ a principio, c. *Per tuas.* 38. *de Appellat.* Idem tradit. Sigism. Scaccia tract. *de Appellation.* quæst. 11. n. 36. et 46. cum aliis, quos citat Matthæus Nerutius in *Repetit.* rubric. *de Appellat.* n. 19. et card. Tuschus litt. E. concl. 930. n. 21. allegans communem.

28. *Solvuntur instantiæ. Per appellationem rescinditur iudicatum, et reponuntur omnia ad priorem statum; et qualiter? — Nec obstat, quod per appellationem rescindatur iudicatum, et reponatur in antiquo statu.* Resp. enim, cum Bartolo, et Nerutio, ubi supra, quod per appellationem rescindatur quidem iudicatum, ac reponantur omnia ad priorem statum, in quo antea fuerant post litem contestatam: non vero ad eum statum, qui fuerat ante litem contestatam; prout convincit textus in cit. l. *Ita demum. c. de Procurat.*

29. *Non allegatum, vel non probatum in causa principali, potest allegari et probari in causa appellationis, et quomodo? — Neque ulterius obstat textus in l. Eos qui. § Si quid autem. c. de Appellat. et l. Per hanc. c. de Temporib. et reparat. appellat.* ubi pro regula traditur, quod. « Non allegatum, vel non probatum in causa principali, potest allegari et probari in causa appellationis. » Resp. enim, concordando jura iuris, regulam hanc procedere in exceptionibus peremptoriis, earumque probationibus: secus in dilatoriis. Ita Nerutius cit. n. 19, post Engel et Paul. et Franc. in d. l. *Ita demum,* et alios.



Abbas d. c. *Exceptionem*, n. 17. h. t. hinc tamen excipiens illos casus, in quibus exceptiones dilatoriae possunt proponi in causa principali post litem contestationem, atque illico referuntur. Unde :

30. *Dantur aliqui casus, in quibus post terminum a iudice praefixum possunt opponi exceptiones dilatoriae.* — Resp. III. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus post terminum a iudice praefixum possunt opponi exceptiones dilatoriae. Ita communis, atque habetur expressum in d. c. *Pastoralis*. 4. h. t. ubi tres tales casus referuntur verbis supra n. 23 jam relatis.

31. I. *Quando quis antea eas fuit protestatus.* — Primus casus, in quo post terminum a iudice praefixum (imo et post litem contestatam, juxta dicenda n. 36. et 37.) admittuntur exceptiones dilatoriae, est ille : videlicet, si quas antea partes « fuerint protestatae. » Sic enim habetur cit. c. *Pastoralis*. 4. h. t. illis verbis : « Decernimus, ut infra certum tempus a iudice assignandum, omnes dilatoriae proponantur : ita quod si partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatae, nullatenus audiantur. » Ac proinde, cum exceptio firmet regulam in oppositum, si alterutra pars antea quamdam exceptionem fuerit protestata, etiam post lapsum illius termini erit audienda : prout in simili, si quis ante publicationem attestationum fuerit protestatus, se velle quidpiam objicere in personas testium, sive contra hos excipere, postea est audiendus, c. *Præsentium*. 31. de *Testib.*

32. *Quæ protestatio debet esse specialis, nec sufficit generalis.* — Cæterum protestatio exceptionis, ad hoc, ut post praefixum terminum admittatur, debet esse specialis, nec sufficit generalis ; alioquin enim inutilis foret provisio cit. c. *Pastoralis*. h. t. et notat ibi Glossa vers. *Protestate* : quam approbat Abbas ib. n. 18. et Speculator eod. tit. § *Nunc videndum*. n. 6. et Pirhing h. t. n. 27. Proinde protestatio exceptionis debet fieri in specie, ac expresse eam nominando ; puta, post unius exceptionis dilatoriae exceptionem subjungendo ly, « salvis aliis dilatoriis, quæ tales et tales sunt, suo tempore probandis. » Et tunc etiam post lapsum termini potest quis super tali exceptione, ejusque probatione audiri, cit. c. *Pastoralis*. h. t. Et merito, quia nullus pluribus uti defensionibus prohibetur, juxta reg. 20. juris in 6. cum concordantiis.

33. II. *Quando aliqua exceptio postea primum supervenit.* — Secundus casus est, si quando aliqua exceptio post lapsum termini praefixi (imo et post litem contestatam) primum ex nova causa supervenerit. Tunc enim illa ex post facto rite potest proponi, juxta textum expressum cit. c. *Pastoralis*. h. t. ubi casus iste reperitur exceptus illis verbis : « Nisi forte aliqua (exceptio) de novo sibi competens exorta fuerit. » Nec immerito : quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio ; ut loquitur Glossa ibid. vers. *De novo*, illud probans ex l. *De ætate*, § *Ex causa*. ff. de *Interrogator. action.* cum similibus. Unde et iudex delegatus, etiam post litem coram eo contestatam potest recusari, si nova causa, v. g. familiaritatis cum adversa parte, supervenerit, c. *Insinuante*. 23. de *Offic. delegat.*

34. III. *Quando reus allegat et probat, se postea primum in notitiam illius exceptionis pervenisse. Intelligendo istud de exceptione facti, non juris.* — Tertius casus est, quando reus exceptionem oppositurus allegat, atque juramento interposito probat, se postea primum in notitiam illius exceptionis pervenisse. Tunc enim etiam post lapsum termini a iudice praefixi audiri meretur, juxta cit. c. *Pastoralis*. h. t. ubi casus iste excipitur sequentibus verbis : « Vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat juramento se postmodum ad illius notitiam pervenisse. » Quamquam Glossa finalis, et marginalis, et Abbas ib. n. 22. et Joan. Andreas n. 12. et 13. h. t. et Speculator eod. tit. § *Nunc videndum*. n. 4. recte istud intelligant de exceptione facti, non juris : puta, quia reus oppositurus exceptionem, ignoravit factum, v. g. quod iudex sit consanguineus actoris. Secus, si reus sciebat iudicem esse actoris consanguineum, sed ignorabat, cum per hoc repelli posset : quia tunc ipsi imputatur : nam « ignorantia facti, non juris excusat, » ut loquitur reg. 13. juris in 6.

35. *Ignorantia exceptionis sufficienter probatur per juramentum. et cur?* — Cæterum in allegato casu sufficit ignorantiam exceptionis probare per juramentum : alioquin enim difficile foret probare, quod quis antea habuisset ignorantiam talis exceptionis. Unde in simili casu sufficit probatio per juramentum in c. *Præsentium*. 31. juncta Glossa vers. *Didicerit. de Testib.* Accedit, quia in facto alieno « praesumitur ignorantia, ubi scientia non probatur ; » prout loquitur reg.

47. juris in 6. Unde non mirum, quod stante jam tali praesumptione, sufficienter probetur ignorantia per proprium juramentum : quia « negantis factum (puta negantis quod praesciverit exceptionem) per rerum naturam nulla est directa probatio. » prout habetur c. *Bonæ memoriae*. 23. § *Contra de Election.* et alibi.

36. *Predictæ limitationes, ac praesertim tertia, an etiam locum habeant post litem contestatam?* — Dicitur notanter n. 30. et seqq. « post terminum a iudice praefixum. » Nam de hoc in cit. c. *Pastoralis*. h. t. solummodo fit mentio ; ac proinde, utrum dicta limitatio in casu praesertim tertia (de duobus enim prioribus casibus minor est difficultas) etiam locum habeat post litem contestatam : adeo, ut si quis lite jam contestata velit jurare se postmodum ad notitiam exceptionis cujuspiam, quæ antea praesistebat, primum pervenisse, variant doctores. Et quidem Glossa fin. c. *Pastoralis*. h. t. negative respondet, ea ratione, quia ab initio debet quis inquirere de hujusmodi dilatoriis, v. g. an iudex sit consanguineus actoris : etenim jura vigilantibus, et non negligentibus subveniunt, l. *Non enim*. ff. *Ex quibus causis majores*, etc. et alibi.

37. Affirmativam econtra sententiam, videlicet etiam post litem contestationem posse opponi exceptionem dilatoriam, si postea primum ad rei notitiam ipsa pervenerit, idque juramento firmetur, tenet Archidiaconus, can. *Si quis episcoporum*. 3. quæst. 6. n. 4. allegans Goffredum in *Summa*. h. t. § *Hoc dicendum est*, et alios, qui secundum Hostiensem subtilius intelligunt. Et huic sententiae etiam favet Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 23. h. t. ipsam intelligens, quando nihil potest parti imputari, quare non opposuerit debito tempore : secus, sit possit imputari, ac negligentia pars notari, arg. c. *Innotuit*. 20. de *Election.* et c. *Nulli*. 8. eod. in 6. Atque hoc solum convincit ratio Glossæ n. præc. allata.

38. *Dantur alii adhuc casus, in quibus post terminum praefixum admittuntur exceptiones dilatoriae nempe:* — Resp. IV. Præter tres relatos casus dantur nonnulli alii, in quibus post terminum praefixum, ipsamque litem contestationem, admittuntur exceptiones dilatoriae. Ita Abbas d. c. *Pastoralis*. n. 4. et n. 16. h. t., tres alios casus proxime recensendos superaddens ; Pirhing eod. tit. n. 28. et alii. Quamquam casus illi vel commode reducantur

ad unum, ex tribus in cit. c. *Pastoralis*. h. t. enumeratis ; vel saltem non sint adeo generales, prout contingit in tribus praemissis.

39. IV. *Si postea primum supervenit facultas aliquam ipsarum probandi.* — Sic ulterius, et quarto post lapsum termini peremptorii, a iudice ad proponendas exceptiones praefixi, potest aliqua harum opponi, quando tunc primum supervenit facultas ipsam probandi. Paria enim sunt ista, videlicet, non competere exceptionem ; et, exceptionem probari non posse, aut hanc ignorari, arg. c. *Ut circa*. 4. de *Election.* in 6. ibi : « Vel super antiquis supervenerit probandi facultas : » juncta Glossa ibid. ac notat Abbas cit. n. 4. allegans insuper Paulum de Leandris in Clem. *Constitutionem. de Election.* et Pirhing, ubi supra.

40. V. *Aut si post modum opponitur nova exceptio priori contraria.* — Deinde, et quinto, potest post elapsam terminum proponi nova exceptio priori contraria. Glossa in can. *Ad hæc*. 13. q. 2. vers. *Ut asseritis*, ex professo hanc quæstionem tractans atque resolvens, quod si alicui competere plures exceptiones, quæ non sunt contrariae, vel intra praefixum terminum non proponeret omnes, tunc succumbens in una, non audiatur in altera, arg. § *Qui autem*. Instit. de *Excusation. tutor.* et cit. *Pastoralis*. h. t. Si autem sint contrariae, tunc licet succubuerit in una, nihilominus post tempus praefixum possit proponere aliam ; ut l. *Contra majores*. ff. de *Inofficios. testament.* Idem tradit Glossa fin. in c. *Cum dilectus*. 8. de *Religios. domib.* ac sequitur Abbas, ubi supra, n. 4. Accedit ratio n. præced. allata : quia videlicet duæ exceptiones contrariae simul proponi, ac probari non poterant, sed post rejectam unam, primum supervenit facultas probandi alteram contrariam.

41. VI. *Vel si opponitur exceptio de incompetencia iudicis, in quem pars litigans non potuit consentire.* — Rursus, ac sexto, exceptio de incompetencia iudicis, si talis sit iudex, in quem pars litigans consentire non potuit, puta clericus in laicum, potest proponi post terminum a iudice praefixum : imo etiam post sententiam latam. Abbas cit. c. *Pastoralis*. n. 16. h. t. ; Pirhing d. n. 28. et alii. Accedit ratio, quia taciturnitas non excipientis contra talem iudicem nihil officit, ex quo non potuit illum facere iudicem. Unde, sicut lite jam contestata potest opponi talis exceptio incom-



petentiæ judicis, ob defectum, jurisdictionis, ex quo defectu inducitur nullitas processus, ipsiusque sententiæ, c. *At si clerici*. 4. de *Judiciis*, cum similibus : ita etiam eadem exceptio potest opponi post lapsum termini a iudice pro opponendis exceptionibus præfixi : cum hæc ipsa præfixio, veluti facta a iudice incompetente, nullius sit valoris ac momenti.

42. VII. *Post lapsum termini potest pars exceptionem prius propositam declarare.* — Septimo, licet post lapsum termini præfixi pars non possit amplius excipere, poterit tamen exceptionem prius propositam declarare : nam qui declarat, nihil agit de novo, l. *Hæredes. palam*. § *Si quid*. ff. de *Testament.* et favet textus in c. *Cum dilecti*. 18. de *Accusatione*.; Archidiaconus 13. q. 2. in *Summa*. n. 2; Abbas d. c. *Pastoralis*. n. 31. h. t. et alii.

43. *Alii tales casus referuntur Remissive.* — Tacetur nunc exceptio excommunicationis majoris, utpote quæ semper objici potest contra actorem, c. *Exceptionem*. 12. h. t. commodius tamen declarabitur infra n. 83. et seqq. Tacetur pariter aliæ exceptiones anomalæ, seu mixtæ : nam, et hæc, cum sint irregulares, ac normam aliarum exceptionum non sequantur, possunt proponi tam ante, quam post litem contestatam ; uti jam dictum est supra § præced. n. 21.

44. *Exceptiones peremptoriæ regulariter opponenda sunt post litem contestatam, possuntque opponi usque ad sententiam.* — Quæritur II. Quo tempore possint, ac debeant opponi exceptiones peremptoriæ ? Resp. I. Exceptiones peremptoriæ regulariter opponendæ sunt post litem contestatam ; possuntque proponi usque ad sententiam, seu conclusionem in causa. Ita Glossa c. *Exceptionem*. vers. *In dilationis*. et Abbas ibid. n. 15. § t.; Speculator tit. de *Exception.* § *Dicto de dilatoriis*. n. 1. et seqq. Socinus in *Fallentiis*, reg. 127. Fredericus de Senis, consil. 160, referens talem casum, in quo « Procurator cujuspian (ut inquit) inepte proposuit quasdam exceptiones peremptorias, quæ veniebant probandæ, lite contestata, » iudex tamen eas non admisit, sed reservavit post litem contestatam. Pirhing tit. de *Litis contestat.* n. 23. et 24; Zoesius h. t. n. 6; Saanig eod. cap. 2. n. 7 et alii; licet Vallensis h. t. n. 13. et Engel eod. n. 4. exceptiones peremptorias regulariter tam ante, quam post litem contestatam, opponi posse censeant usque ad sententiam. Contra

hæc desumitur ex l. *Præscriptionem*. c. h. t. et l. *Peremptorias*. c. de *Sententiam rescindi.* etc. Quo utroque in loco habetur, exceptiones peremptorias posse opponi usque ad sententiam diffinitivam, non postea : nisi forsitan quis mereatur restitutionem in integrum.

45. *Ante litem contestatam eæ opponi non possunt; et cur?* — Quod autem exceptiones peremptoriæ regulariter ante litem contestatam objici non possint desumitur ex cap. I. de *Litis contestat.* n. 6. Ubi exceptio peremptoria antea objecta (demptis casibus ibidem expressis) litem contestationem non impedit, nec retardat : unde non nisi inutiliter tunc proponeretur, cum adhuc lis contestari, et causa prosequi deberet. Accedit alia ratio, tum quia reus non debet proponere, neque probare exceptionem suam peremptoriam, antequam actor fundaverit intentionem suam; debet enim prius constare de juris actoris : alioquin confunderetur ordo iudicii, et frustra reus se gravaret onere probandi, cum actore non probante reus sit absolvendus, l. *Qui accusare*. c. de *Edendo*. et c. *Cum Ecclesia*. § fin. de *Causa possession.* Tum quia exceptiones peremptoriæ concernunt iudicium jam cœptum, l. *Si quidem*. c. h. t. ac notat Zoesius n. 6. et Saanig h. t. cap. II. n. 7. Tum tandem, quia licet peremptoria ante litem contestationem probaretur, nihil exinde utilitatis probanti accresceret; cum lite necdum contestata non absolveretur; cap. I. et seqq. « Ut lite non contestata, » etc. et l. *Prolatam*. c. de *Sentent. et interlocut. omn. judic.* juncto cit. cap. I. de *Litis contestat.* in 6.

46 et 47. *Fallit istud in exceptionibus peremptoriis litem finitæ, et cur?* — Resp. II. Fallit nihilominus data conclusio quoad utramque partem in nonnullis casibus. Et quidem posse quasdam exceptiones opponi post sententiam latam, patebit ex dicendis, n. 51. 52. et seqq. Quod autem aliqua etiam ante litem contestationem opponi valeant, ostenditur inductione. Imprimis enim exceptiones peremptoriæ litem finitæ, videlicet exceptiones de re iudicata, transacta, vel alias finita, utiliter proponuntur, atque probantur ante litem contestationem. Textus est in cit. cap. I. de *Litis contestat.* in 6. juncta Glossa ibid. vers. *Finita*. Joan. Andreas n. 3. Ancharano n. 2. et aliis : qui tamen cum Joan. Monacho intelligunt hanc exceptionem « de re iudicata efficaciter; » sive ab eo, qui jus

judicandi habuit : secus, si sententia lata fuisset a iudice incompetente, v. g. laico in causa spirituali. Item exceptiones « de re transacta firmiter, » sive ubi transactio bona fide facta fuit, ac tenuit; ut. l. *Tres fratres*. ff. de *Pactis*; secus, Glossa loc. cit. juncta Glossa marginali ibid. Item exceptionem « de re finita irrevocabiliter; » sive per amicabilem compositionem in spiritualibus, ubi non cadit transactio; sive per consensum, a. t. juramentum delatum a parte parti : quia tale juramentum majorem habet auctoritatem, quam res iudicata, l. II. ff. de *Jurejurand.* Glossa. et Joan. Andreas, ubi supra.

47. Et merito memoratæ tres exceptiones possunt opponi ante litem contestationem, hancque impediunt. Tunc quia hæc exceptiones concernunt instantiam, eamque finiunt; aliæ vero concernunt rem ipsam, secundum Joan. Monachum; tum quia actio, sive obligatio semel extincta, non reviviscit amplius, l. *Qui res*. § *Aream*. ff. de *Solution.* atqui per memoratas exceptiones intelligitur actio sive obligatio extincta; tum tandem, quia jura ita statuerunt, ut sit finis litium, nec post unam litem jam finitam (etiam mediante transactione extra iudicium facta) teneatur pars iterum subire noxam litem, novumque iudicium, ne alioquin detur processus in infinitum. Ancharanus cit. n. 2. Abbas c. *Exceptionem*. n. 15. h. t.

48. *Fallit etiam, quando exceptio peremptoria est notoria.* — Deinde eadem conclusio limitatur, fallitque quando exceptio peremptoria existit notoria, seu manifesta. Siquidem in notoriis non debet iudex pati, ut causa in iudicium deducatur, juxta textum notabilem in c. *Quonian*. 10. de *Filiis presbyter.* Abbas cit. c. *Exceptionem*. n. 16. et Felinus ibid. n. 24. h. t. Joan. Andreas in *Addit. ad Speculatorem*. tit. de *Exception.* § *Dicto*. vers. *Adde quod si reus*; Pirhing. tit. de *Litis contestat.* n. 25. allegans alios.

49. *Quando reus in continenti potest probare exceptionem peremptoriam.* — Hoc ipsum extenditur ad eum casum, quo reus in continenti probare potest exceptionem peremptoriam puta, per instrumentum, contra quod actor nihil excipere potest : quia talis potest illico proponi, etiam ante litem contestationem, ad impediendum litem ingressus, atque ut cito finis imponatur litibus. Felinus, Pirhing, ubi supra, et alii. Secus dicendum, quando hujusmodi exceptionis probatio indigeret majori indagine, longiorique discus-

sione : tunc enim protestari quidem posset ante litem contestationem, non tamen deberet audiri ejus probatio, ob rationes n. 45. allatas; et quia omnia suis debent temporibus convenire, can. *Si Ecclesia*. 23. q. 4; Speculator cit. § *Dicto*. n. 3.

50. *Ubiunque exceptio concludit actori jus non competere.* — Tertio limitatur data conclusio, ubiunque exceptio concludit, actori jus non competere : talem enim exceptionem peremptoriam potest reus proponere ante litem contestatam, ac hujus contestationem impedire. Ratio est, quia si nullum jus competit actori, ergo nec egere potest : atqui sine actione nemo potest experiri in iudicio, seu convenire alium, l. *Si pupilli*. § *Videamus*. ff. de *Negot. gest.*; Abbas cit. n. 16; Joan. Andreas, ubi supra, allegans insuper Bartolum in l. *Cum quærebatur*. ff. *Judicatum solvi*; et ibi Alexandrum in *Apostill.*; Pirhing tit. de *Litis contestat.* n. 25.

51. *Regula est, quod post sententiam diffinitivam nullæ exceptiones, etiam peremptoriæ, opponi possunt. Post diffinitivam vel et confugiendum ad remedium appellationis, vel ad remedium restitutionis in integrum, si competit.* — Quæritur III. Utrum post latam sententiam opponi possint quædam exceptiones ? Resp. I. Regula est, quod post sententiam diffinitivam nullæ exceptiones, etiam peremptoriæ, opponi possint. Ita jura, et doctores n. 44. allegati, cum communi. Siquidem post latam diffinitivam sententiam vel ad remedium appellationis est confugiendum; vel saltem ab beneficium restitutionis in integrum, si competit, text. clar. cit. l. *Peremptorias*. c. *Sententiam rescindi non posse*.

52. *Fallit data regula in exceptionibus, quæ principaliter respiciunt executionem sententiæ : tales enim post sententiam opponi possunt.* — Resp. II. Fallit nihilominus data regula in exceptionibus, quæ principaliter respiciunt executionem sententiæ : tales enim post latam sententiam opponi possunt, sive ad impediendam hujus executionem, sive ad istam retardandam. Ita Socinus in *Fallentiis*, reg. 122. fallent. 1. et seqq.; Speculator de *Exceptionibus*. § *Dicto*. n. 14. et seqq., et tit. de *Executione sententiæ*. § *Postremo*. n. 3. et seqq. plures tales casus enumerans. Abbas c. *Exceptionem*. n. 18. h. t. generaliter asserens, quod exceptiones peremptoriæ, concernentes executionem sententiæ, possint opponi, atque probari post sententiam. Engel h. t. n. 5. Saanig eod. cap. II. n. 9,